

suum iubar Cometes explicuit, quo his de rebus ante, quām euenirent, mortales admonerentur. Proxime superioribus annis multa in Zelandia & Hollandia ab Oceano oppida absorpta sunt (nam hæc quoque cometis accepta referūt) Ferraria, nobilissima urbs, fere ab imis conuulta sedibus, & terre labefactata motibus, peneto ta cum magnificis et sumptuosis illis Diuorum templis, ac publicis alijs priuatisq; ædificijs corruit, & deformata est, nec tamen ullum tantorum monitorem malorum cometen vidimus. Sed huius generis mala pene innumerabilia ex ueteri & nostrorum temporum historia, in medium afferre, nullius prope negotiū fuerit. Illinc sumat licet, si quis magno eorum studio tenetur: Nobis hæc satis sint, quæ ueluidimus ipsi, uel uidere potuimus.

Verum longius ab eo, quām initio constitueram, dū ostendere conor, si exemplis pugnandum sit, numero nos, & multorum insignium euentuum copia facile uincere. Quanquam nullum prorsus exemplum illorū servire instituto potest. Nam si propterea talia, quæ commemorauimus, mala, ad cometen, tanquam ad cauſsam suam referri oporteat, quod in illud aliquando tempus incident, quo cometes aliquis ardet, aut postquam deflagravit, consequantur: uidendum est illis etiam atque etiam, ne ad multas atq; eas quidem perabsurdas consecutiones fenestrām aperiant. Nam, ut alia omittā, efficitur sanè hoc modo, ut eius, quod sit, aut paulo post sequitur, cauſsam esse dicamus id, quod uel præsens est, uel non ita pridem antecessit. Sic ortum, sic obitum Solis, sic fulgura, sic tonitrua, sic parelia, sic iridem, sic multa alia earum cauſsam rerum omnium faciemus, quæ his interuallis ab hominibus suscipiuntur, & fiunt, atq; adeo quæ eis præter expectationem, aut uoluntatē accidunt. Febre aliquis corripitur, aut morbo alio, moritur etiam: aliis ex alto cadit, aut ceruicem ex equo delapsus frangit, dum tonat, aut fulgurat, num propterea aut tonitru, aut fulgur, febris, aut eorum quæ diximus,

mao